

# SIXTUS PAPA V

## AD PERPETUAM REI MEMORIAM

### 1. Introductio.

*Ex omnibus Christianae Caritatis officiis, quibus aeterna salus per gratiam Dei comparatur, illa Redemptori nostro Iesu Christo vel maxime placere credimus, per quae pauperes Christi infirmi, et in Hospitalibus existentes, in necessitatibus suis spiritualibus et corporalibus adiuvantur.*

### 2. Instituti origo.

*Quod genus officii dilectus filius Camillus de Lellis, Presbyter Theatin. Dioec., ac alii eius Socii, quam Deo gratum et saluti animarum necessarium esse intelligentes, hisce diebus, erga pauperes Christi in Hospitalibus Urbis nostrae existentes, non minori affectu quam mater erga quem unice educavit filium, demonstrarunt, et quotidie hos modo, cum omni qua decet mansuetudine et caritate, ad patientiam, alios ad Sacramentorum Ecclesiasticorum susceptionem commonendo, alios in articulo mortis constitutos consolando, et denique ad bene moriendum diu noctuque hortando, demonstrare non cessant. Idemque praestare intendunt tempore etiam (quod absit) pestilentiae.*

### **3. Instituti nomen et finis.**

*Hi itaque Camillus et Socii insimul et in communi sub paupertate, castitate et obedientia, ita tamen, ut voto adstricti non sint, vivere et Altissimo ac eius pauperibus famulari proponentes, unam inter se Societatem seu Congregationem, sub vocabulo seu nomine Ministrantium Infirmis, cuius principale institutum est speciali quodam Caritatis fervore infirmis praedictis inservire, sub Nostro et Sedis Apostolicae beneplacito inierunt, sperantes ex hoc multis incommodis et periculis, in quae saepenumero dicti infirmi ob defectum talium ministrorum inciderunt, obviam iri, ac salutem animae et corporis, multaque Christifidelibus commoda parari.*

### **4. Approbatio et confirmatio.**

*Nos, eorum supplicationibus inclinati, ac de huiusmodi pio proposito et vivendi modo, quo ipsi intendunt uti, plene, etiam ex relatione dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. Cardinalium super Consultatione et Causis Episcoporum et Regularium ac Visitatione Apostolica deputatorum, informati, ex certa nostra scientia, Congregationem sub vocabulo seu nomine Societatis Ministrantium Infirmis, per unum maiorem Ministrum seu Superiorem, qui Presbyter esse ac per eandem Congregationem, de triennio in triennium, per maiorem partem suffragiorum eligi debeat, regendam et gubernandam Apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, suppletentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem.*

### **5. Privilegium eleemosynas colligendi.**

*Et quia dicta Congregatio proprietate rerum temporalium carere instituit, Nos pariter Camillo et praedictis, ac pro tempore existentibus ipsius Congregationis Sociis, et aliis ab eis deputatis et deputandis, quod eleemosynas ubicumque, praeterquam intra Ecclesias, Monasteria et Loca pia, colligere ac in dictae Congregationis communes usus convertere, Vicarii Urbis seu cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita (libere et licite valeant, tenore praesentium facultatem concedimus et indulgemus);*

## **6. Facultas opera Caritatis exercendi.**

*dictaque pietatis opera erga quoscumque infirmos, in quibuscumque Hospitalibus seu aliis dictae Urbis Locis a dictorum Hospitalium seu Locorum Praefectis vel Administratoribus vocati, seu de eorum licentia vel consensu, exercere;*

## **7. Facultas Confessiones infirmorum audiendi.**

*ipseque Superior vel maior Minister, qui, ut praefertur, Presbyter esse debet, et alii eiusdem Congregationis Presbyteri, dummodo alias sint idonei et ab Urbis Vicario approbati, infirmorum et aegrotantium in dictis Hospitalibus et Locis existentium, confessiones audire, sine praeiudicio eorundem Hospitalium aut Locorum, vel eorum Officialium seu Administratorum, libere et licite raleant, tenore praesentium facultatem concedimus et indulgemus.*

## **8. Conditio apposita.**

*Ita tamen, ut tam Superior quam alii dictae Congregationis Socii, iuxta ipsius Congregationis instituta et ordinationes iam factas, et pro tempore faciendas, (dummodo illa, quamdiu ab Apostolica Sede approbata non fuerint, per ipsius Congregationis Protectorem revisa et approbata sint), in communi ex dictis piorum eleemosynis vivant.*

## **9. Clausula derogatoria et dies.**

*Non obstantibus quibusvis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.*

*Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII Martii MDLXXXVI, Pontificatus Nostri anno primo.*

IO, BAPTISTA CANOBIUS